



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la  
Coloniae Agrippinae, 1616**

§. 1. Eius Castitas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

## S. I.

## EIVS CASTITAS.

**P**RIUM Pater hic Balthassar tota vita sua studuit in virtute **CASTITATIS** excellere, in eaque perfectione eam coluit, quam Regula nostra exigit, imitando scilicet Angelicam puritatem in mentis & corporis nostri munditiam. Ad quod præstandum omnia illa media, quibus ea defenditur, conseruatur, ac perficitur, adhibebat. Quomodo enim non censeatur Angelicam Castitatem coluisse eum, qui adeò seuerè corpus suum, vt dictum est, castigabat, vt spiritui esset subiectum, & ne sensualitas contra rationem rebellaret? quomodo non haberet magnam cogitationum puritatem, qui ita suū visum mortificabat, vt, ne foeminas aspiceret ante se existentes in publico sanctæ Inquisitionis Actu, ( vt diximus ) oculos suos per septem horas in sacratissimæ Virginis imaginem, quam secum ferebat, confixos habuerit? & quomodo non esset purissimus, qui adeò erat Virgini, & puritatis matri addictus? de qua vel cogitando adeò delectabatur? & quomodo non vinceret tentationes castitatem oppugnantes, qui adeò in promptu habebat potentissima contra illas arma, continuam scilicet ac feruentem orationem? ipsemet fassus est aliquando, se hoc beneficium & gratiam à Deo accepisse, vt nec motus, nec sensuales inclinationes in se sentiret, ob continuatam deuotionem & recollectionem internam, qua semper se gerebat in præsentia diuina. Qui enim semper attendit, se à **D E O** aspici in omni loco, etiam



secretissimo: operam certè dat, ne quid admittat eius præsentia & conspectu indignum. Quare religiosissimus hic vir tres illos virtutis huius gradus est assecutus, quos iuxta Seraphici Doctoris sancti Bonauenturæ doctrinam in hac virtute constituerebat. *Primus* est, certissimum animi decretum non offendendi DEVM Dominum nostrum in hac materia, nec lethaliter, nec leuiter; sed resistendi cum omni diligentia cogitationibus ac motibus sensuum. *Secundus*, in quo caro adeò est Spiritui subiecta, vt raro idque leuiter is tentetur: facileque victoriam obtineat, nisi culpa sua se vinci patiatur. *Tertius*, in quo adeò sunt sensuum passiones domitæ, ac debilitatæ, vt vix percipiãtur; tantusque est rerum huiusmodi contemptus, vt cum eas audire, aut sermonem de eisdem miscere sit necesse: non magis moueri se sentiat, quàm si de lapidibus aut luto sermo esset: qui gradus non nisi ex DE speciali gratia obtinetur, quem tamen ipse aliquibus suis Electis largitur, & huic seruo suo communicauit: quamuis priusquam illam obtineret, strenuè contra tentationes pugauerit. Cum semel Iuuenis quædam nec ineligans foemina, aliquò proficisceretur, aggressa est castissimum hunc virum, tanquam alterum Ioseph: ipse verò ad consuetum Orationis refugium recurrens, non solum ab eo periculo se liberauit; sed ipsam quoque foeminam DEO lucratus est: effecitque, vt sui peccati penitenteret, & confiteretur. Nec tamen hæc victoria securum ipsum reddidit: nam potiùs cum humili suæ debilitatis timore, conseruabat Ca-

De Præf. n.  
6. Religiosis  
640.

stita



statis thesaurum, fugiens omnes occasiones etiam minimas, labendi in rem aliquam contra illam. Hunc suum timorem explicans dicebat: non esse in tanto periculo eum, qui ex subtili fame in turri aliqua alta penderet; atque is, qui positus est in occasione puritatem suam amittendi. Idem autem Dominus, qui Castitatis donum ei fuerat largitus, eundem docuit cautelam, quanti deberet ad eandem conservandam; suggerens ei hanc de humanæ miseræ cogitationem, & sensum: Cùm DEVS Dominus noster ante paucos dies fontes tui Nihili tibi ostenderit, teq; talem sis expertus: quomodo scandalizari potes ex alienis lapsibus; aut non esse valde cautus de proprijs? hinc didicit summam adhibere cautelam, ne vnquam solus esset cum foemina: & cùm aliquam visitabat, nunquam prius sedebat, quàm etiam socio sedes adferretur. Et quoniam ipse cum multis spiritualibus foeminis agebat; cum ijs dicebat maiorem esse cautelam adhibendam, eò quòd spiritualis amor soleat transgredi limites suos, & fieri carnalis; & optimum vinum conuerti in fortissimum acetum: quod tamen non ita aduertitur, donec mutua volùtates ita coniunctæ & agglutinatæ, vt quamuis illibenter & cum aliquo doloris sensu, potius à Deo, quàm à se inuicem discedant, & separentur, ne se contristant; iudicantes, non decere, sibi in illo amore teneroque affectu deesse, & tunc Dæmon accedit, & ignem accendens, illos excæcat, & illaqueat. Imò etiam cùm solus esset, valde erat cautus, dum se exueret, & surgeret: vtrumque enim faciebat magna cum

II. Augusti

1575.

cc

cc

cc

cc

cc



honestate, ut nullam corporis sui partem videret. addebatque: valde esse attendendum circa modum iacendi in lecto, ut semper compositio religiosa sit, & honesta: nam, si Religiosi non habent omnino extinctum patiendi desiderium, quid leuius eis euenire potest, quam non se discooperire in æstate, cum sani sunt, & tegumenta moderata habeant? & quomodo hanc decentiam seruabunt, cum febre aliqua grauius incalescunt, & nemo illos videt: nisi ad eam seruandam sensim assuescant?

## 6. II.

## PAUPERITAS.

**S**ANCTAE PAUPERATI fuit valde additus, ut Saluatorem nostrum imitaretur, de quo excelsas habuit cogitationes, ut postea dicemus; & valde persuasus: in ea consistere substantiam Religionis solebat dicere: nemo sibi puluerem in oculos iniiciat; nec sibi de sensis, illustrationibus & spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu bolum hunc Paupertatis Evangelicæ ad eum amarum deglutiat. Tunc autem deprehendet, an illam amet, si eius etiam comites diligit, famem, sitim, frigus & contemptum. Qui enim in vestibis quærit honorem, ne vilis habeatur, non diligit paupertatem; qui, dum sitit, non potest sitim aliquamdiu tollerare, sed animalis alicuius instar proijcit se ad aquam: is non studet paupertati: qui nihil vult sibi deesse, & tamen vult Religiosus haberi, decipitur. Iuxta hunc sensum practica-